DE
AVE DIOMEDEA
DISSERTATIO,

Cum Verâ ejus effigie æri inciſa,

ex Muſéo

D. FRIDERICI LACHMUND
HILDESHEIM.

Ad Cl. Virum,

Dn. D. JOHAN. DANIELEM
MAJOREM,

In Acad. Kilon. Anatom. & Botan. Prof. P. & Ordin.

Rever. & Seren. Epiſc. Lubec. Archiatrum, nec non Collegii naturæ Curioſorum Adjunctum.

AMSTELODAMI,
Apud ANDREAM FRISIUM, 1674.

B. L. S.

QVum ante biennium Avis hæc peregrina, quæ DIOMEDEA *nominatur, ad me missa esset, diligenter equidem Autores, à quibus mentio facta esset de illa, evolvi; Inveni autem, præter admirandam metamorphosin, ab Augustino pro verò quasi habitam, à Bocatio autem rectiùs explicatam, quòd omnes, excepto Aldrovando, de figura & specie incerti sint &*

 dis-

dissentiant. Et licèt Aldrovandus pro ut ex Ornithologi literis ipse cognoverat, eam satìs rectè describat, tamen effigies minùs rectè est delineata. Nolim autem, L. B. te mirari, vel mihi vitio dare, quòd in hac Dissertatione Variorum Autorum testimonia de hac ave de verbo ad verbum adduxerim & exscripserim. Sic enim habeto; factum illud esse, ut eò meliùs eorum dissensus de hac ave rara Orbi literato & viris naturæ curiosis innotescat. Feci illud exemplo

non

non paucorum virorum doctorum, qui similia ita excerpserunt. Vnum è multis memoro, Virum è scriptis notissimum & celeberrimum, Casparum Schottum, qui Physicam suam curiosam totam ex aliis describere non dubitavit. Interdum quidem & suum judicium addit, quod tamen de hac ave incertum est, & errore non vacat.

Magnopere igitur abs Te peto, L. B. ut conatum hunc meum mihi laudi potiùs, quàm vitio ducas, méque

hac ratione ad alia (utpote de lapide Judaico, *de quo jam tractatum meditor) edenda inflammes, atque tam diu effigie, hactenus à nemine rectè delineatâ, sis contentus, donec illi, quibus optabilior se offert occasio, fabulas in verum convertant. Vale & fave* L.B.

CLA-

CLARISSIMO VIRO,

D. JOHANNI DANIELI MAJORI,

S. P. D.

FRIDERICUS LACHMUND.

SAtis mirari nequeo, quòd in Variis Tuis, iisque pereruditis scriptis aliquoties fiat mentio Rariorum meorum, tam Artificialium, quàm Naturalium, à me partim in itinere collectorum, partim in patria repertorum, partim verò ab amicis communicatorum; sed quoniam nondum ad eam quantitatem pervenêre, nec tanti æstimanda sunt, ut mereantur Tuis inseri, non possum aliter existimare, quàm

quòd fuerit humana quædam & amica adhortatio, quâ animum meum magìs magiſque ad hoc ſtudium *jucundum* & *utile* inducere & invitare voluiſti.

Fateor equidem, quòd hoc inſtinctu factum fuerit, nec infelici progreſſu. Quemadmodum enim ipſemet Muſéum meum, quantum fieri potuit, propriis ſumptibus, in tam exiguo temporis ſpatio ſelectioribus rebus ex tribus regnis illuſtravi, in qua re curioſi quidam amici mihi deeſſe non voluerunt; ſic à Te, Vir Clariſſime, ex regno minerali mihi transmiſſa ſunt nonnulla, inter quæ ſpecies quædam eſt lapidis Judaici, ſuo tempore *Tractatui meo de lapide Iudaico* cum effigie inſerenda.

Mineralia etiam haud pauca ad me miſit D. Dr. *Auguſtus Schefferus*, *Hal-*

Hallensis, jam apud Magdeburgenses Medicus, ex quibus notatu dignissimus est lapis, figurâ aëtiti similis, colore fulvus, cujus materia est arenosa, loco lapidis vel terræ, in se continens arenam candidam naturâ in pulverem redactam.

Ludum verò *Helmontii*, Terram Iken, ovum aliàs philosophicum dictum, nec non corollam precariam de sale Cardonensi ex Hispania, nuper accepi à D. D^r^. *Martino Fogelio*, apud Hamburgenses Practico celeberrimo.

Adhuc alia mineralia habeo ex donatione D. D^r^. *Andreæ Behrens*, Medici & Senatoris Reipubl. nostræ Hildesheimensis, qui præter hæc me donavit nummis duobus æneis, quorum alter est *Vitellii*, alter *Gordiani*. Ex his primus propterea rarus & notatu dignus

eſt, quòd illo confirmantur verba illa *Suetonii: Vitellius Germanici cognomen recepit, Auguſti diſtulit, Cæſaris in perpetuum recuſavit*; meus tamen nummus exhibet *Titulum Auguſti*, & ideo rarior eſt. De hoc vid. Cl. *Spanhemius* in aureo lib. de præſt. & uſu Nummiſm., qui propter raritatem pag.m.851, nummi effigiem addit, à quo meus nummus tamen differt, quòd illius inſcriptio ab altera parte eſt: PAX GER ROMA, mei verò: HONOS ET VIRTVS.

Celeberrimus D. Dr. *Theodorus Conerdingius*, qui inter inferioris Saxoniæ Medicos facilè primas tenet, & Sereniſſ. Principis ac Dn., Dn. Georg. Guilielmi, Brunſv. & Luneb. Ducis, Archiater eſt, è Celſiſſimi Principis Vivario, quod *Cellis* eſt, & quidem ipſius Du-

cis

cis concessu, præterlapso anno ad me misit *Phasianum versicolorem.* Versicolorem dico, ad differentiam *Phasianorum candidorum*, qui ibidem etiam quotidie possunt videri; de quibus maximopere miror, quòd nemo Ornithologorum hactenus, quod sciam, eorum faciat mentionem.

Ex Vegetabilibus, Animalibus, & Mineralibus simul quædam satìs curiosa aliquoties accepi à Pharmacopœo nostro, D. *Adolpho Windhorn*, qui hæc ex Batavia attulit.

Quam *jucunditatem* autem hoc studium habeat, monstrant Muséa, Galleriæ, Pinacothecæ, Dactyliothecæ, Bibliothecæ, & alia rariora Regum, Principum, & privatorum hominum, quorum catalogus reperitur in Tractatu Tuo Germanico sub titulo: See=

fart nach der Neuen welt ohne schiffe und segel.: cui meritò addi debet Bibliotheca Augusta Sereniss. Principis ac Dn., Dn. *Rudolphi Augusti*, Ducis Brunsv. & Luneburg., à Sereniss. Patre *Augusto*, gloriosissimæ memoriæ, incepta, & in tantam multitudinem redacta, ut anno 1661 fuerit numerus omnium Voluminum 28415, & summa librorum separatorum 116351, utì testatur Cl. D. *Conringius* in Epistola de Bibliotheca Augusta; nec non Sereniss. Fratris, D. ANTON. ULRICI Gaza, in qua inter alia, quum præterito anno, Sereniss. Principis permissu, illam perlustrarem, summopere mihi placebat, Imperatoris LOTHARII pomum imper. (Reichs apfel:) ex ferro, nî fallor, in Cœnobio Regio Lothariensi, Germ. Kö-
nigs

nigs Luther / in ſepulchro ejus repertum, item brachium artificioſum ex argento, etiam poſt cineres Celeberrimi Herois, Sereniſſ. Principis ac D. Domini CHRISTIANI p.m., Duc. Brunſv. & Luneb., qui in acię brachium perdidit, unde ſuprà nominato argenteo brachio uſus eſt. Ipſius adverſarii & hoſtes tum temporis hujus infortunii duplicem cauſam fuiſſe, judicârunt; alteram, quòd cudi juſſiſſet imperiales, & florenos aureos, quorum alteri parti impreſſa fuerunt hæc verba: CHRISTIAN HERZ. ZU BRAUNSCHW. U. LUNEB. in medio verò GOTTES FREUNDT DER PFAFFEN (in florenis PAFFEN:) FEINDT; alteri parti brachium armatum cum gladio, inſcriptio verò TOUT AVEC DIEU 1622.

alteram, quòd vexillum habuiſſet, quod vocant Leib ſtandarde/ ex ſerico candido factum, in quo ſequentes aureæ figuræ & literæ acu pictæ, nempe, corona Pontificis, pileus Cardinalis, mitra Epiſcopi, & alia &c. infrà verò hæ literæ majuſculæ: EXTIRPANTOR! Vexillum hoc Romam adductum, & in Eccleſia, *Maria de la victoria* nominata, ſuprà portam appenſum, quod ipſemet Anno 1660 vidi. De morbo & morte hujus Herois etiam multa falſò ſunt dicta, propter maculas circa umbilicum repertas, quas tamen ex putredine & vermibus exortas, inde ſuſpicor, quòd ſtatim in initio morbi excreverit partem lumbrici lati 3 & $\frac{1}{8}$ uln. longi, quam partem chartæ affixam teneo ex donatione Cognati mei, D. Julii

Dör-

Dörren, Icti & Advocati Brunov. Viri (Excellent. D. Dr. Joh. Dörren, in Civitate & Ducatu Brunſvic. Medici olim celeberrimi, filii: poſt mortem verò altera pars quinque circiter ulnas longa in inteſtinis reperta, & à D. Dr. Samuele Satlero ſervata eſt. Sed hæc obiter: item unicornu, quod omnia, quæ hactenus videre licuit, pulchritudine & magnitudine ſuperat; nec non caput capreoli naturâ geminum, in Hercynia ſylva repertum: in his enim quaſi in Theatro poſſunt perluſtrari tum artificioſa, tum præcipua naturæ miracula, quæ aliàs magnis ſumptibus & periculoſis peregrinationibus, non niſi in quatuor mundi plagis poſſent reperiri.

Præterea horum beneficio cum magna *utilitate*, multa obſcura, du-

dubia, monstrosa, fabulosa, quæ aliàs aut pro veris, aut fabulis habita sunt, nobis solvuntur, explicantur & notiora & certiora fiunt.

Ex artificiosis exempli loco nobis est aurum & argentum chemicum. De hac arte quot dubia & controversiæ extiterint, satìs notum est, unde à plurimis pro ἀδυνάτοις sunt habita, quæ de illa traduntur. Sed dubium hoc aliquo modo solvunt nummi quidam aurei & argentei; Ex illorum genere est *ducatus* quidam *Regis Sueciæ Gustavi Adolphi*, Herois incomparabilis, quem allegat *Borrichius* de ortu & progressu Chemiæ pag. 141. it. Ephemerides Collegii naturæ curios. ann. 1. observat. 17. cum fig. æri incisa; ex horum verò genere est *Imperialis* Reverendiss. & Sereniss.

Prin-

Principis, D. *Maximiliani Henrici*, Electoris Colonienſis, Epiſc. Hildeſ. & Leod. &c. in cujus una parte cuſa ſunt inſignia, in altera verò Electoris effigies, ſupra caput verò ſigna 🜍 & ☿ qui ambo apud me ſunt.

Naturæ verò miracula quod attinet, quis non obſtupeſcat, ſi aſpiciat Naturam artem tam in mineralibus, quàm Vegetabilibus, ita operantem, ut etiam celebres pictores & ſculptores illis cedant.

Mineralia arte naturæ picta & ſculpta permultis in locis in Muſéis reperiuntur, & multa exempla exhibet *Kircherus* in Mundo ſubterran. & nuper editæ *Ephemerides naturæ curioſ.* in quibus *obſervat.* 113 *minera ferri* exhibentur, *cum imagine B. Virg. Mariæ & filioli* JESU, nec non *patera ex achate*,

cui

cui nomen Christi à natura est inscriptum; ambo ex Gazophylacio *Invictissimi nostri Imperatoris*, quem DEUS contra hostium insultus, unà cum S. Romano Imperio, perdiu conservet!

Vegetabilia verò rariùs occurrunt; attamen exempla cum iconibus habent etiam *Ephemerides*, ubi *observat.* 48 describitur rapa, quæ repræsentat fœminam nudam sedentem, manibus & pedibus flexis. *observat.* 101 crucifixus è radice crambes enatus. *observat.* 116 radix exhibens crucifixum cum duabus parvis imaginibus. His non incongruè addi potest asserculus politus ex radice juglandis, quo me donavit D. *Joachimus Lüdeman*, civis & mercator apud nos primarius, qui vario naturæ penicillo, non aliter, ac marmor Florentinum, præter cæte-

cætera eleganter exhibet mulierem togatam.

In regno verò Animali heu quot dubia & fabulosa olim extiterunt! quemadmodum *Unicornua*, quæ passim in Thesauris servantur, tam diu pro terrestribus habita, donec *Olaus Wormius*, magnum Academiæ Hafniensis in Dania decus, ipsum cranium, cum unico cornu, vel rectiùs, dente, vidit, quod tamen non erat ab animali quadrupede & terrestri, sed aquatili, & quidem à Ceto, septentrionalibus *Narhual* dicto, cujusmodi integrum quoddam Anno 1670 naves Groenlandicæ Hamburgum secum adduxerunt, unde etiam hodie hi dentes vocantur unicornua Groenlandica.

De *Basilisco* multa etiam dicuntur, sed omnes, quos hactenus vidi,

vidi, fuerunt ex *Rajis parvis* confecti, qualis etiam apud me eſt, aſpectu horridus. Ex Raja etiam fuit ille, quem ante biennium quidam Brunovici & in aliis locis, ſui quæſtûs cauſa, pro verò *Baſiliſco* ex Africa allato, multis ſuppoſuit: Ejuſmodi etiam impoſtor hîc apud nos Hildeſiæ fuit hoc anno 1672 menſe Januario. Fabula etiam eſt, *Baſiliſcum* ex ovo galli gallinacei naſci; verum autem eſt, gallum annoſum ovum edere, qualia tria apud me ſunt, unum minus, alterum verò magnitudine & figurâ ſimile illi, quod deſcribit *Thomas Bartholinus*, Caſparis filius, celeberrimus Anatomicus, & ſingulare ornamentum Academ. Hafnienſis, centur. 1. Hiſtor. 99. tertium verò eſt incurvum, & planè ſimile illi, quod habet *Haſenrefferus* de
cutis

Fig. A.



cutis affectibus pag. m. 414 ſub titulo ovum, ex quo Baſiliſcus excluditur, unde & ego figuram addo, (Fig. A.) Hoc autem ovum anno 1672 in ædibus Ampliſſ. D.D^{r}. Herman. Störren/ Cl. *Icti*, fuit repertum, quod fractum ſolummodo albumine fuerat impletum.

Quis etiam *avem Paradiſiacam*, quæ ante hac ἄπȣς credita fuit, pedes habere affirmâſſet, niſi jam in multis locis in Muſéis proſtaret, & ocularis inſpectio accederet, qualem etiam vidi *Guelpherbyti* in Muſéo Sereniſſ. Principis ac Dn., Dn. *Antonii Ulrici*, Ducis Brunſ. & Luneb. Diſtinguunt quidem nonnulli inter has aves, & alias vocant ſimpliciter *aves paradiſiacas*, quas pedes habere dicunt, alias *Regulos*, quas pedibus carere, & loco eorum habere filamen-

ta

ta duo dorſo firmiter annexa, quibus inſtar pedum ſeſe arboribus annectant, vid. *Adam. Olearius* in der Gottorff. Kunſt-Cammer. Diſtinctio autem hæc mihi probari non poteſt, illæ enim aves, quæ pedibus inſtructæ ſunt, ſimiliter ut apodes falsò ita creditæ, filamenta habent, quarum avium duas ſpecies aſſervo in Muſéo meo, unam ſatìs grandem & maximè alatam cum filamento uno: (alterum enim filamentum eſt extractum, & licèt pedes non habeat, tamen manifeſtè apparent veſtigia abſciſſorum pedum) altera verò parva & adeò elegans eſt, ut meritò regulis annumerari poſſit, pedes verò ita accuratè abſciſſæ ſunt, ut nulla veſtigia appareant; diligentiùs autem tractata, & pennis accuratiùs diviſis, pars oſſis cruris, inprimis in latere ſiniſtro, reperitur.

Sed

Sed venio ad avem DIOMEDEAM. De hac, præter multas veterum fabulas, tantus error eſt, ut alii putent fuiſſe ſimilem *Fulicæ*, alii *Cygno*, alii *Ardeæ*, alii *Ciconiæ*.

De nomine etiam non convenit inter Autores; *Servius* Latinis vocari dicit *Diomedias*, Græcis ἐρωδιοὺς. *Juba* apud Plinium vocat *catarrhactas*.

Catarrhactes aütem *Geſnero* avis eſt ex genere *Larorum*, ſeu *gaviarum*; alii *Falconem album* vocant catarrhactam. *Aldrovandus* Artennam hodie vocari, & in inſula S. Mariæ de Tremiti tantùm inveniri ſcribit.

Quoniam autem potiſſimùm hi errores naſcuntur ex interpretatione vocis catarrhactæ, lubet hîc inſerere de verbo ad verbum, quæ habet Doctiſſimus D. *Sam.*

Bo-

Bochartus part. 2. Hierozoic. lib. 2. cap. 21. pag. 278. *Et* (καταῤῥάκλης) inquit, *quandoque est Epithetum avium prædatricum, quæ cum impetu in prædam ruunt, & quodammodo se præcipites conjiciunt. Ita* Sophocles in Laocoonte *aquilam* καταῤῥάκτην, *& in* Phineo *Harpyjas* καταῤῥάκτας *appellaverat. Hesychius*, καταῤῥάκτης, ὀχετὸς, ῥύαξ, καὶ ἀετὸς Σοφοκλῆς Λαοκόοντι, καὶ τὰς Ἁρπύιας ἐν Φινεῖ. Et in *Cassandra Lycophronis* καταῤῥακτὴρ, quod idem est, accipitris est Epithetum. Verba sunt versu 168.

Τὸν δ' αὖ τέταρτον αὐθόμαιμον ὄψεται
Κίρκου καταῤῥακτῆρος.

Quartum porrò consanguineum videbit accipitris catarrhacteris, seu catarrhactis. Diomedeas quoque aves *Juba* vocat *catarrhactas*, ut habetur apud *Plinium* libri decimi capite

capite quadragesimo quarto; quia in *Aristotelis Mirabilibus* leguntur *Græcis* parcere, sed venientes barbaros καταῤῥάσσειν.

Tamen ut *Hebræis* שלך, (salach,) ita *Græcis* καταῤῥάκτης avis est certa species, cui peculiare est hoc nomen. *Suidas*, καταῤῥάκτης, εἶδος ὀρνέου θαλασσίου: *Catarrhactes, avis marinæ species.* Eustathius in Dionysium, τὸ ὄρνεον ἀετῶδες καταῤῥάκτης καλεῖται· *Avis aliqua aquilini generis* catarrhactes *vocatur.* Aristophanes in Avibus, καὶ ἐρωδιῷ, καὶ καταῤῥάκτῃ, καὶ μελαγκορύφῳ. *Et ardeæ, & catarrhactæ, & melancorypho.* Et ibi *Scholiastes*, καταῤῥάκται εἰσὶ παρὰ Καλλιμάχῳ ἀναγεγραμμέναι· *Catarrhactæ* à Callimacho *describuntur.* Aristoteles *Historiæ* libri 2. cap. 17. Νῆτται δὲ, καὶ χὴν, καὶ λάρος, καὶ καταῤῥάκτης, καὶ ὠτὶς τὸν στόμαχον εὐρὺν καὶ πλατὺν

B ὅλον

ὅλον ἔχουσι. *Anas autem, & anser, & larus, & catarrhactes, & otis totum stomachum amplum & latum habent.* Et lib. 9. cap. 12: ὁ δὲ καταῤῥάκτης ζῇ μὲν περὶ θάλατταν. ὅταν δὲ καθῇ ἑαυτὸν εἰς τὸ βάθυ, μένει χρόνον οὐκ ἐλάττονα, ἢ ὅσον πλέθρον διέλθοι τις. ἔστι δ' ἔλαττον ἱέρακος τὸ ὄρνεον: *Catarrhactes quidem circa mare vivit. Cùm autem in profundum se demisit, manet non minùs temporis, quàm quo jugerum quis transierit. Est autem avis Accipitre minor.* Oppianus in *Ixeuticis* Accipitri Palumbario προσόμοιον *similem* esse scribit. Apud *Eustathium* vocari dicitur *Catarrhactes*, ὡς ἄνωθεν καταῤῥάσσων ἐν τῷ θηρεύειν τὰ ὄρνεα, *tanquam supernè irruens, cùm venatur aves.* Perperàm, cùm Catarrhactes non nisi pisces venetur. Præstat igitur nominis rationem aliunde addiscere. Et commodùm

dùm ſe offerunt *Geſneri Excerpta ex Oppiani Ixeuticis*, quæ quidem hodie non extant. Sed illorum *Græcam paraphraſin* legerat manu exaratam, in qua hæc maximè ad rem: 1. *Catarrhactes ſcopulis & littoribus, & petris, quas* χοιράδας *vocant, ſupra aquam eminentibus, inſidet*, &c. *Et ubi piſces aliquot natantes viderit* (perſpicaciſſimus enim eſt, vel ad fundum uſque maris) *altiùs volat, & pennis omnibus contractis, in mare tanquam delapſus, per medium aëris intervallum quovis telo celerior fertur, & ad ulnæ ſpatium immergitur, donec comprehenſum piſcem extraxerit, quem mox evolans palpitantem adhuc devorat.* Quæ *Græcè* ex MSS. ſuo ſic citat vir Doctiſſimus *Voſſius* noſter in eximio illo in *Melam* opere paginâ 73. Πρὸς ὕψος ἑαυτὸν αἴρει, καὶ τὰ πτερὰ πάντα συςείλας,

ἐις τὸν πόντον δια πίπτων ὄισεται, διατεμὼν τὸν ἀέρα παντὸς ἂν ἔιποις βέλους ὀξύτερον, καὶ καταδύεται μέχρι ὀργυιᾶς, ἢ καὶ πλέον, ἔσθ' ὅτε συλλαβὼν τὸν ἰχθὺν ἀνασπᾷ, καὶ ἀνιπτάμενος ἔπι πάλλοντα κατεσθίει

2. Mors catarrhactis gravior, quàm ulli ambiguæ vitæ avium contingit. Acies enim oculorum ſenio confectis obtuſa, in cauſa eſt, ut in mare ſe præcipites ferri ad piſcium prædam arbitrantes, ſcopulis ac præcipitiis illidantur & pereant. 3. Catarrhactas imaginibus piſcium ſuper tabulas pictis capiunt. Nam, dum impetu in illas, ſeu vivos piſces feruntur, illiſi pereunt. 4. Mas ova, unde marem procreandum conjicit, fœmina unde fœminam, in ſublime ferunt, unguibus comprehenſa. Inde mittunt in pelagus, atque hoc ſub-

inde repetunt per dies aliquot. Hoc motu concalefactis ovis, pulli excluduntur. 5. Pulli Catarrhactæ, mox ut lucem aspexerint, nullâ in nidis morâ, parentes volatu sequi contendunt. A parentibus autem suscepti in mare demittuntur, & rursus illicò extrahuntur, ut sic facilius auxilio parentûm hoc genus exercitii ipsis reddatur. Vides, Lector, quàm meritò Hebraicè שלך dicatur, & Græcè καταῤῥάκτης. Cùm modò describatur משליך נפשי ἑαυτὸν καταῤῥάσσων, *seipsum dejiciens*, aut certo consilio in mare, unde victus illi suppetit, aut per errorem, vel in scopulos, vel in tabulas pictas, unde illi certa pernicies: modò או בניו משליך ביצין *ova sua projiciens*, aut *pullos suos in mare demittens*, ad quod ultimum fortasse τὸ καταῤῥάσσειν non

ita pertinet, quia id cum impetu non fit: ſed Hebræum השליך tam ſignificat *leniter demittere*, quàm *cum impetu projicere. De projectione in præceps* uſurpatur *Jonæ* I I. *vers* 4. ubi *Propheta* hoc verbo uſus, queritur, ſe *projectum fuiſſe in profundum & in cor maris.* Et 2 Paral. 25. vers. 12. ubi legitur de decem *Idumæorum* millibus וישליכום. *Et projecerunt eos de petræ vertice, & illi omnes crepuérunt.* Proinde Græci reddunt, ϗ κατεκρήμνιζον αὐτȣ́ς· & Hieronymus *præcipitaveruntque eos.* Sed pro *demiſſione* ſumitur cùm de *Jeremia* ſcribitur *Jerem.* XXXVIII. 6. אותו אל הבור וישליכו *Et jecerunt eum in foveam*, id eſt, demiſerunt. Sequitur enim ἐπεξηγητικῶς illum demiſſum eò fuiſſe funibus. Catarrhactes igitur etſi pullos ſuos in mare, fortaſſe etiam ova, non tam projiciat,

ciat, quàm demittat, tamen etiam eo nomine שלך dici potuit. Et hujus historiæ putaverim aliquid *Hebræis* suboluisse, cùm tradunt Auctore Aben Ezrâ שלך avem esse, quæ soleat ילילהשליך *pullos suos projicere*. Hæc de Græca versione; quæ quia vera est, reliquas quoque libet ad eam expendere.

Similia ferè habet *Gerard. Joh. Vossius*, Princeps ille omnium Grammaticorum *in lib. de Origine & progessu Idololatriæ lib.* III. *cap.* 82. *pag.* 1174. ubi dicit: *Operæ interim est cognoscere, quid tota de hac re censeat* Cæsar Scaliger *commentario in Aristot. lib.* IX de *histor. Anim.* cap. XVI. *sect.* CLXI. Diomedeas, *inquit, aves fabulosas puto; sunt mendacium Græcorum. At aliter est, si* Diomedeæ *sunt aves, quæ hodie dicuntur* Artenæ, *ut Da-*

lecampio (ad Plin.) annotatum. Sed miror, eum dicere, hasce aves Aristoteli Charadrios vocari. Nusquam enim Aristoteles, quantum meminisse possum, id charadriis tribuit (nempe quæ Plinius habet de hac ave) Adde quòd charadrii variis agant terris ac sint, quæ aliter ἴκτεροι *vocantur. At* Diomedéæ, ut Plinius ait, *uno in loco totius orbis visuntur.* Nempe Insula *contra Apuliæ oram*, in editis, qui nunc *ad manum*, *Plinii codd. (excepta Parmensi) reperio à Juba dici catarrhactas. Nam Aristotel. lib. Audit. mirand. ubi idem refert, eas ait, aves Barbaris in insulam advenientibus* αἰωρουμένους καταῤῥάσσειν αὐτοὺς εἰς τὰς κεφαλὰς αὐτῶν· *ex alto cum impetu irruere in capita eorum. Facileque assentio Doctissimo D. Salmasio, hoc ipso ex loco à Juba eis esse catarrhactarum vocabulum impositum: etsi alioqui sciam,*

ſciam, cunctis avibus prædatricibus id nominis competere, atque Ariſtoteli particulatim catarrhactas dici aves alias accipitre minores, ſeque in mare mergentes, ac tanto ſpatio in eo manentes, quanto opus ſit ad jugerum tranſeundum; Eas verò Ariſtotelis catarrhactas ab illis Jubæ catarrhactis eſſe diverſiſſimas, apertius eſt è jam memoratis, quàm ut inſiſtere illi ſit opus.

Vocatur autem *avis Diomedea* à Diomede Tydei ex Deiphyle filio, & Ætoliæ Rege, qui ad Trojam militavit, & multa præclara geſſit, Venerem adjuvantem Æneam percuſſit; at finito bello, propter adulterium uxoris Ægiales cum Cyllabaro, Stheneti filio, redire in patriam noluit, ſed in Apuliam profectus, Adriam condidit: ibi Venus irata ſocios Diomedis in

aves mutavit : vide Homerum Ιλ. ξ.

De hac fabula ſequentia habet *Ariſtoteles* lib. de mirabil. Auſcult. *In Diomedéa inſula* (inquit) *maris Adriatici ferunt templum quoddam & admirandum, & religione ſacrum, ab avibus in circulum obſideri, magnitudine vaſtis, roſtris & prælongis & turgidis; quæ Græcis quidem accedentibus quietem agant; Ceterùm Barbaris, qui accolunt, venientibus ſubvolent, ac pedibus roſtríſque capita eorum lacerent, inflictíſque multis vulneribus interimant. Fabulantur, has quondam ex ſociis Diomedis extitiſſe, circaque eam inſulam facto naufragio, Ducem amiſiſſe, ab Ænea, gentium illarum Rege, dolo necatum.*

Et *Auguſtinus* lib. 18. de civit. Dei cap. 16. *Nam & Diomedem fecerunt Deum, quem pœnâ divini-*

tus irrogatâ perhibent ad ſuos non reverti∫ſe, ejusque ſocios in volucres fuiſſe converſos, non fabuloſo poëticoque mendacio, ſed hiſtoricâ atteſtatione confirmant, &c. Quin etiam templum ejus eſſe ajunt in inſula Diomedéa, non longè à monte Gargano, qui eſt in Apulia; & hoc templum circumvolare, atque incolere has alites, tam mirabili obſequio, ut roſtrum aquâ impleant, & aſpergant: & eò ſi Græci venerint, vel Græcorum ſtirpe progeniti, non ſolùm quietas eſſe, verùm & adulari: ſi autem alienigenas viderint, ſubvolare ad capita, tamque gravibus ictibus, ut etiam perimant, vulnerare; nam duris & grandibus roſtris ſatis ad hæc prælia perhibentur armatæ. Idem *Auguſtinus* cap. 18. de his avibus inter alia ſic ſcribit: *Diomedeas autem volucres, quandoquidem genus earum per ſucceſſionem propaginis durare*

 per-

perhibetur, non mutatis hominibus factas, sed subtractis, credo, fuisse suppositas, sicut cerva pro Iphigenia, Regis Agamemnonis filia. Neque enim Dæmonibus judicio Dei permissis, hujusmodi præstigiæ difficiles esse potuerunt, sed quia illa Virgo postea viva reperta est, suppositam pro illa cervam esse, facilè cognitum est. Socii verò Diomedis, quia nusquam subitò comparuerunt, & postea nullo loco apparuerunt, perdentibus eos ultoribus Angelis malis; in eas aves, quæ pro illis occultè ex aliis locis, ubi est hoc genus avium, ad ea loca perductæ sunt, ac repente suppositæ, creduntur esse conversi. Quòd autem Diomedis in templum aquam rostris afferunt, & aspergunt; & quòd blandiuntur Græcigenis, alienigenas persequuntur; mirandum non est, fieri Dæmonum instinctu: quorum interest, persuadere, Deum esse factum Diomedem, ad decipien-

cipiendos homines, ut falsos Deos, cum veri Dei injuria, multos colant, &c.

Bocatius verò *lib. 9. Genealog. Deor. Cap.* XXII. *De Diomede Tydei filio pag.* 229, aliam opinionem habet de hac metamorphosi, quando ait: *sed quid sub fictionibus lateat, videndum est. Diomedem Martem vulnerâsse, ideo dictum puto, quia forsan cum Hectore pugnans, qui, ob insignem ejus virtutem militarem, meritò Mars dici poterat, illum vulneravit. Sic & Venerem, quia Æneam, Veneris filium, vulnerâsset. Socios autem in aves mutatos dicit Theodontius, ideò fictum, quia pyratæ effecti sunt, adeò veloci cursu, remorum suffragio discurrentes maria, ut volare viderentur; eosque Græcis servatis, reliquis nationibus fuisse infestos.*

Ad quod genus verò avium referendum maximè, ut suprà

dictum, dissentiunt Autores.

Plinio lib. 10. Nat. histor. cap. 44. est genus è *Fulicis*: *Nec Diomedeas* (inquit) *præteribo aves; Juba, catarrhactas vocat, eis esse dentes, oculosque igneo colore, cætero candidas, tradens. Duos semper iis duces; alterum ducere agmen, alterum cogere. scrobes excavare rostro, inde crate consternere, & operire terrâ, quæ antè fuerit egesta; in his fœtificare. Fores binas omnium scrobibus: Orientem spectare, quibus exeant ad pascua; occasum, quibus redeant. Alvum exoneraturas subvolare semper, & contrario flatu. Uno hæ in loco totius orbis visuntur, in insula, quam diximus nobilem Diomedis tumulo atque delubro, contra Apuliæ oram*, fulicarum *similes. Advenas Barbaros clangore infestant, Græcis tantùm adulantur, miro discrimine, velut generi Diome-*

medis hoc tribuentes: ædemque eam quotidie pleno gutture madentibus pennis perluunt, atque purificant: unde origo fabulæ, Diomedis socios in earum effigiem mutatos.

Item *Solino* polyhiſtor. cap. 8. his verbis: *Insula, quæ Apuliæ oram videt, tumulo ac delubro Diomedis insignis eſt, & Diomedeas aves ſola nutrit. Nam hoc genus alitis, præterquam ibi, nuſquam gentium eſt, idque ſolùm poterat memorabile judicari, niſi accederent non omittenda. Forma illis penè, quæ* Fulicis, *color candidus, ignei oculi, ora dentata. Congregatæ volitant, nec ſine ratione pergendi. Duces duæ ſunt, quæ regunt curſum; altera agmen anteit, altera inſequitur; illa ut ductu certum iter dirigat; hæc, ut inſtantiâ urgeat tarditatem. Hæc in meantibus diſciplina eſt. Cùm fœtificum adeſt tempus, roſtro ſcrobes ex-*

excavant, deinde, surculis inversum superpositis, texta cratium imitantur, & sic contegunt subtercavata. Et, ne operimenta desint, si fortè lignorum casas venti auferant, hanc struem comprimunt terrâ, quam egesserant, cùm puteos excavarent. Sic nidos moliuntur bifori accessu, nec fortuitò, adeò, ut ad plagas cœli metentur exitus, vel ingressus. Aditus, qui dimittit ad pastus, in ortum destinatur; qui excipit revertentes, occasum versùs est, ut lux & morantes excitet, & receptui non denegetur. Levaturæ alvum adversis flatibus subvolant, quibus proluvies longiùs auferatur. Judicant inter advenas: si Græcus est, propiùs accedunt, &, quantum intelligi datur, velut civi, blandiùs adulantur. Si quis erit gentis alterius, involant, & impugnant. Ædem sacram omni die celebrant studio hujusmodi: aquis imbuunt plumas, alisque impendiò madefactis

factis confluunt rorulentæ; ita ædem excusso humore purificant, tunc pennulis superplaudunt, inde discedunt, quasi peractâ religione. Ob hæc ferunt Diomedis socios aves factos: sanè ante adventum Ætoli Ducis nomen Diomedeæ non habebant. inde sic dictæ.

Ovidio & Alberto Magno est *Cycno* similis: Ovid. XIV. Metamorphos. v. 507. 508. 513. 514.

Magna pedis digitos pars occupat, oraque cornu
Indurata rigent, finemque in acumine ponunt.
Si volucrum quæ sit dubiarum forma requiris,
Ut non Cycnorum, *sic albis proxima* Cycnis.

Albert. Magn. lib. 23. de animal. in litt. D. *Diomediæ aves sunt, quas ad augurium vocavit Rex Diomedes. Albæ sunt, igneis oculis, quantitate* Cygnorum, *rostris acutis cavant molliora rupium,*

pium, in quibus nidificent, & tecta desuper ex tegulis & pulvere componunt, ad modum magni ciphi. Exitum dirigunt ad orientem, procedunt & revertuntur ad ostium nidi dispositum ad occidentem, per aliam viam redeuntes ad casas, sed quando querulas emittunt voces, significare dicunt augures, aut ipsarum, aut Regis, Patriæ, aut utrorumque excidium. Hæ aves, ut quidam dicunt, Græcis accedentibus blandiuntur, & omnes alias impugnant nationes, ad suos nidos venientes.

Servio, Stephano Grammatico, Isidoro, nec non *Salmasio*, teste *Jonstonio*, histor. nat. de avibus, est genus *Ardeæ*.

Bellonio, *Onocrotalus* sive *Pelicanus*, Aldrov. lib. 19. ornithol. *Süida*, *Ciconia*, aut huic similis Schott. phys. curios. pag. 1173.

Item ipse curiosus *Schottus* existimat,

ſtimat, fuiſſe *Ciconiis* aut *Ardeis* ſimiles; quem Virum aliàs lynce perſpicaciorem miror, quòd ex ſola conjectura hanc avem *Ciconiis* aut *Ardeis* ſimilem eſſe putet, cùm tamen eas nunquam viderit.

Tandem *Aldrovandus* aliquomodo rectiùs, prout ab Ornithologo (: ipſe enim non vidit :) accepit, deſcribit, dum ait: *Deſcribit noſtram avem* Diomedeam *Ornithologus, prout amicus quidam ejus, qui illis in inſulis vixerat, ei retulit. In Diomedis inſulis*, inquit *aves quædam raræ, vulgo* Artennæ *dictæ, nec alibi reperiuntur, ut amicus quidam, qui in illis aliquandiu habitavit, quantum meminiſſe poterat, nobis per literas ſignificavit. Fatebatur autem, omnium exactè ſe meminiſſe. Magnitudine*, inquit, *ſunt, quâ gallinæ, ſatis corpulentæ, ſed collo & cruri-*

cruribus longiusculis; color eis fuscus, vel cinereus obscurus, & (nisi fallor) non nihil albi habent sub ventre, ut columbi sylvestres, quandoque (mea avis tota ferè prona candicat), rostrum prædurum, & aduncum, ut aquilæ ferè: non adeò tamen colore egregiè rubrum, si bene memini (ego sanè hoc eum non bene meminisse existimo; nam id in mea ave luteum est, præter uncum qui nigricat) oculi formosi, igneo colore, non admodum magni. Vidi enim aliquando unam, quæ virgâ percussa in capite oculos aperiebat, & clamabat: sed mox recludebat, cùm lucem solis ferre non posset. Et rursus: *color earum non simpliciter albus est, ut* Plinius *scribit, sed ad cinereum vergens, ut in fulicis (larorum generis) etiam, quibus eas compârat; dentatæ an sint, non observavi. Rostrum sanè habent validum, & longiusculum.* Hæc ille, quæ exactè ferè

avi

avi meæ, cujus iconem exhibeo, conveniunt, quæ, nisi rostrum haberet aduncum, non ineptè quis, eam ex larorum majorum genere esse judicaret: adeò hos cum toto corpore, tum alis potissimum, refert; pedes ejusdem coloris sunt, cujus rostrum: sicuti tibiæ quoque: hactenus *Aldrovandus*; ex quo & non nullis suprà citatis Autoribus breviter collegit, quæ *Jonstonius* habet in histor. natural. de avibus pag. m. 128, quæ tamen non carent dubiis.


Unde sepositis de hac ave fabulis & erroribus, dico, quòd non sit *Onocrotalus*, non *Fulica*, non *Ciconia*, non *Cygnus*, nec ex horum genere. Non habet etiam, ut *Fulica*, *in fronte notam*, quibus ideò fortassis *Plinius* & *Solinus* similem dixerunt. vid. *Aldrov.* in descript. non *dentes*, ut suprà *Plinius*, & ex eo *Solinus* habet.

non

non *ungues aduncos* vid. *Aldrov.* in victu, *color* etiam, ut *Plinius* habet, *non est albus*, sed est avis aquatica palmipes sui generis.

Avis, quæ Muséum meum ornat, colore tota est cinerea, alæ verò aliquantulum obscuriores, venter non nihil ad albedinem tendit, longa spithamarum II palmam I, lata spithamar. II. Oculi orbitæ (: oculi enim sunt exsiccati:) quo ad proportionem avis parvæ, crura II digit. longa, lutea, ut & digiti unguiculis parùm uncis præditi, rostrum etiam cum unco luteum, & satìs validum, trium ferè digitorum longum, corvi aquatici more, incurvum (talis corvus Anno 1666. & 67. in nostro tractu Hildesheim. est transfossus; aliàs his oris peregrinus, unde in principio à paucis cognitus, cujus cranium

Fig. B.



nium ad me missum est, in quo certè, præter ossiculum trium digitorum longum ex occipitio natum, quod tenue, latiusculum ab ortu sensim in acutum mucronem gracilescens à *Schwenckfeldio* observatum, & nullâ alia avi, quod sciam, commune, maximè miratus sum, narium meatuum angustiam, est enim avis magna, sed minimæ avis nares imò Reguli illos superant. Hujus cranii effigiem, tum propter narium angustiam, tum propter similitudinem rostri, quam aliquomodo habet cum *Ave Diomedea*, apponendam esse existimavi.)

Fig. B.

Est etiam peculiare quid in utraque mandibula observatu dignum, quòd non constent, ut aliarum avium rostra, ex osse continuo, sed duobus; uncus

enim

enim alteri offi, non aliter, ac unguis digito, eſt annexus, inferiori verò mandibulæ triangulare os eſt adjunctum cum cavitate, quæ excipit linguam; in apice verò foramen conſpicuum, quod excipit forſan unci acumen; Nares aliàs, contra avium proprietatem, habet prominentes, amplis odorandi meatibus præditos, colore & duritie corneos, longitudine unius digiti: Quoniam autem meliùs hæc in figuris apparent, quàm poſſunt deſcribi, tres additæ ſunt imagines, quarum prima exhibet totam avem, altera caput & roſtrum ad juſtam magnitudinem, tertia verò pedem itidem juſtâ magnitudine.

Fig. I. II. III.

Licèt autem hæc avis aliquot jam annos exſiccata ſit, tamen, inſtar

Fig. 1.






Fig. 11.





Fig. III.



453

instar anatum Turcicarum, moschum redolet.

His lubet addere ex *Aldrovando*, usum in cibo & medicina: *Artennæ caro* (inquit) *in cibum non venit, propter virus piscium, quod resipiunt. Evadunt autem immodicè pingues, ita, ut visæ aliquando sint, quæ præ pinguedine pedibus se sustinere non possent. Ex hoc pingui unguentum fit colore croceum, odore gravissimo, nervorum morbis salubre, convulsioni, arthritidi, ischiadi, omnibusque defluxionibus frigidis, & multis aliis malis, quæ humores frigidi procreârunt; Egregiè enim calefacit, ideoque morbis calidis non solùm inutile, sed etiam noxium. Canonicum quendam ejus loci olim quotidie hoc unguento ventriculum sibi inungere solitum ajunt, ut meliùs concoqueret. Deplumatas exenteratasque aves in sole suspendunt, & adipem destillantem colligunt.*

Ad volatum, morem, nidum, incubatum, vocem, quod attinet, tam diu contenti erimus illis, quæ de iis ſuprà citati Autores memorant, donec tandem illius loci incolæ, vel accolæ, toti orbi literato, qui absque dubio hoc avidè expetit, certiora communicent. Cùm & ego ſimilia petere vellem ab amico, qui erat chirurgus celeberrimus, à quo hæc avis rara erat miſſa, quæ ipſi eſſent nota, ecce ſubita mors, quæ ipſum abſumſerat, ſpem meam fruſtrabatur.

Hæc ſunt illa, Vir Clariſſime, quæ Te celare nec volui, nec debui, de hac ave perrara collectanea rara; Rarior tamen adhuc eſt ejus vera effigies, quam ex Muſéo meo obſcuro, ſed Tuâ autoritate claro, addendam eſſe autumavi.

Diſſer-

Diſſertatio hæc forſan, Tibi in ſumma illa occupatione, Viro Curioſo, & rerum exoticarum æquo Cenſori inſcripta & dedicata, efficiet, ut poſthac complures alii Curioſi Viri diligentiùs in hanc avem inquirant.

Sed manum de tabula. Religio mihi enim eſt TE pluribus tenere. Ignoſcere interim TE velim diſſertationi forſan juſto longiori. Epiſtola enim, diſertiſſimo Romuli nepotum, Tullio teſte non erubeſcit.

Fac valeas, Vir bono publico nate, Academiæ & ſtudioſorum juvenum publicæ utilitati, & ſplendori nunquam ſatìs laudandi Collegii naturæ Curioſorum, Tuamque illam ſingularem in me benevolentiam porrò poſthac conſerves. Quod

votum meum ut pondus habeat, Deum O. M. veneror pro Tua Tuorumque salute!

Dabam Hildes. d. XII. *Aug.*

A. C. MDCLXXII.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

* *Notati ſunt Autores allegati.*

A.

B.

C.

D.

Non

K.

L.

M.

Num-

FINIS.

FINIS.